

libertatem vindicandi, ordinari cœperunt Episcopi *Titulares*, et ordinantur in diem. Sed de hisce *Titularibus* Episcopis suo loco dicemus.

ARTICULUS II

Episcopus quoad ea quæ concernunt ejus electionem, confirmationem, et consecrationem.

(1. Episcopi olim eligebantur a toto Clero, accedente presentia, acclamatione, seu consensu populi; cap. *Nosse* 12. dist. 63. ibi: « Sacerdotum quippe electio est, et fidelis populi consensus adhibendus, quia ducendus est populus, non sequendus; » cap. *Cum longe* 25. eod. dist. 63. ibi: « Sed quia populus aut princeps jubetur electioni interesse, non præcipitur advocari ad electionem faciendam, sed ad consensum electioni adhibendum. Sacerdotum enim (ut in fine superioris capituli Stephani Papæ legitur) est electio, et fidelis populi est humiliter consentire, » et concordat c. *Cleri* 27. eod. dist. 63. in cujus sumario sic præcise dicitur: « Plebis non est eligere, sed electioni consentire. » (2. Plurimi tamen sustinent, Populos, Magistratus, et Principes intervenisse electionibus Episcoporum, nedum per presentiam, acclamationem, et consensum, sed etiam per propria vota, seu suffragia, Barb. plurimis citatis lib. 1. *Jur. Eccles. univers.* cap. 8. a num. 64. *Et de offic. et potest. Episcop.* part. 1. tit. 1. cap. 3. a n. 4. et alii passim variis suffulti sacris Canonibus, et signanter cap. *Qui aliquo* 5. dist. 51. ibi: « Sed nec ille deinceps Sacerdos (id est Episcopus) erit quem neque Clerus, nec Populus propriæ Civitatis elegit; » c. *Episcopos* 13. dist. 63. ibi: « Post electionem Cleri, et populi; » cap. *Electis* 18. ead. dist. 63. ibi: « Clerum, et Plebem ejusdem Ecclesiæ elegeris; » cap. *Factus* 5. caus. 7. quæst. 1. ibi: « De plebis, quæ tunc adfuit suffragio, » et concordat cap. 4. *Quanto* 10. cap. *Plebs* 11. c. *Nosse* 12. cap. *Episcopus* 13. cap. *Metropolitano* 10. distinct. 63. (3. Quidquid autem observatum fuerit in primis Ecclesiæ temporibus circa admissionem Laicorum in electionibus Episcoporum, et Pontificum, certum est, nunc Laicos non habere suffragia in talibus electionibus; cap. *Nullus laicorum Principum* 1. cap. *Adrianus Papa* 2. cap. *Valentinianus Imperator* 3. c. *Non est permittendum* 6. cap. *Omnis electio* 7. cap. *Non licet* 8. cap. *Nosse* 12. dist. 63. cap. *Contingit* 8. de *Arbitris*, c. *Decernimus* 2. de *Judiciis*, cap. *Sacrosancta* 51. de *Election.* (4. Et electio Episcopi per Laicos etiam cum canonicis facta est nulla non obstante contraria consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela textu expresso in c. *Messana* 56. de *Elect.*

(5. Separatis progressu temporis Clericis a Religiosis, qui omnes ad electionem Episcoporum concurrebant, ex claro, et expresso textu in cap. *Obeuntibus* 35. disp. 63. fuit exinde statutum, ut Religiosi suorum Abbatum, aliorumque Superiorum, Canonici vero Cathedralium suorum Episcoporum facerent

electionem; cap. *Nullus* 1. cap. *Cum terra* 14. cap. *Congregato* 13. et per tot. de *Elect.* cap. *Congregatio* 43. caus. 16. quæst. 7. Et sic tota facultas eligendi Episcopos fuit redacta ad solos Cathedralium Canonicos. Bertachin. de *Episcop.* lib. 1. par. 3. a princip. Petrus Gregor. de *Elect.* cap. 6. num. 9. Barbosa de *Offic. et potest. Episcop.* part. 1. tit. 1. c. 3. num. 11. et lib. 1. *Juris Eccles. univers.* cap. 8. num. 68. (6. Talis facultas eligendi Episcopos duravit in Capitulis, et Canonicis Cathedralium usque ad tempora Clementis V. ut multis observat Barbosa l. c. Clemens enim V. cœpit reservare suæ dispositioni Cathedralium Ecclesias, quæ apud Romanam Curiam vacare contigisset, ut constat ex Extravag. *Et si temporalium, de præbend. inter commun.* Postea Benedictus XI. in Extravag. *Sancta Romana, de Election. inter commun.* statuit quatuor Patriarchalibus Ecclesiis vacantibus, illis non posse provideri Romano Pontifice inconsulto. Deinde Joannes XXIII. in Extravagant. *Ex debito, de Elect. inter commun.* provisioni suæ reservavit Episcopales, et earum Superiores Sedes, quæ apud Sedem Apostolicam illo vivente vacare contigissent. Et post Benedictus XII. in Extravag. *Ad regimen, de præbend. inter commun.* sibi reservavit provisiones omnium Ecclesiarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, tunc apud Sanctam Sedem Apostolicam quomodocumque vacantium, et vacaturarum. Exinde per sequentes Romanos Pontifices reservatio facta fuit simpliciter, et generaliter, quoad omnes Ecclesias Episcopales, tam apud Sedem Apostolicam, quam extra Curiam vacantes, seu vacaturas, ut patet in secunda, et tertia regula Cancellariæ, quas cum aliis quilibet Summus Pontifex in initio sui Pontificatus constituere solet. (7. Exceptis tamen Regnis, et Principatibus privilegiatis, ubi Reges, et Principes per specialia Concordata Episcopos nominant, et præsentant, ab ipso Summo Pontifice instituendos. (8. Et exceptis Cathedralibus Germaniæ, ubi servatur vetus consuetudo canonicæ electionis, ut Collegium Canonicorum Cathedralium Episcopos, vel Archiepiscopos eligat, et electi a Romano Pontifice confirmantur, ut clare ostendunt Concordata Germaniæ et cum pluribus aliis observat Barbosa l. c. (9. Electio Episcopi faciendâ non est ante diem tertium a morte Episcopi, c. *Nullus*. 7. dist. 79.

(10. Electus in Episcopum debet intra mensem a presentatione electionis præstare consensum, alias mense elapso, redditur nulla electio, textu expresso in c. *Quam sit de elect.* in 6. ibi: « Electus vero illum (scilicet consensum) adhibere infra mensem a tempore presentationis hujusmodi teneatur, quem si electus ipse ultra præstare distulerit, jure si quod ei ex sua electione fuerat acquisitum, ex tunc se noverit eo ipso privatum. » (11. Et intra tres menses a consensu præstito debet petere confirmationem, alias elapsis tribus mensibus electio eo ipso est nulla, textu expresso in c. *Quam sit*

de *Elect.* in 6. ibi: « Cæterum quivis electus infra tres menses post consensum electioni de se celebratæ præstitum, confirmationem electionis ipsius petere non omittat. Quod si justo impedimento cessante infra hujusmodi trimestre tempus omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuetur. » (12. Sufficeret tamen ad evadendam talem penam, quod electi amicus ejus nomine confirmationem peteret quamvis sine mandato, dummodo tamen electus ratam haberet illam amici petitionem intra illos tres menses. Glossa in cit. cap. *Quam sit*, verb. *Petere*, Tiraquell. de *Pænis tempor.* caus. 22. num. 37. Azor. pag. 2. c. 29. quæst. 11. Barbosa de *Offic. et potest. Episcop.* part. 1. cap. 4. n. 4. (13. Tres menses computari debent prout in Calendario occurrunt, incipiendo scilicet a die præstiti consensus, et dies qui desunt ex uno mense accipiuntur de sequenti. Glossa in cit. cap. *Quam sit*, verb. *Mensem*, Gonzal. ad regul. 8. *Cancellariæ*, gloss. 11. n. 7. Garcias de *Benef.* part. 10. cap. 2, n. 42. et seq. Menoch. de *Arbitr. casu* 50. num. 21. Sanchez de *Matrim.* lib. 2. disp. 24. n. 15. Barb. l. 2. *Juris Eccles. univ.* c. 9. n. 4. et de *Offic. et potest. Episc.* loc. cit. n. 2.

(14. Confirmatio Episcoporum olim poterat fieri a suis respective Metropolitanis: cap. *Quoniam* 1. dist. 109. cap. *Cum dilectus* 32. de *Elect.* (15. Hodie tamen non ab alio, quam a Romano Pontifice fieri potest ex regul. 2. alias 3. Cancellariæ, quæ Sedi Apostolicæ reservat provisiones omnium Cathedralium. Et licet in Germania ex vi Concordati Episcopi adhuc eligantur a Collegiis Canonicorum Cathedralium, Romani tamen Pontificis auctoritate confirmantur. Sicuti etiam confirmantur, et instituuntur a Romano Pontifice Episcopi illi, qui vi privilegiorum Apostolicorum a Regibus, et Principibus nominantur et designantur. Azor. par. 2. c. 29. q. 1. et 2. Barb. l. 1. *Juris Eccles.* c. 6. n. 9. et de *Offic. et potest. Episcop.* tit. 1. cap. 4. n. 6. Pro hujusmodi electione, et confirmatione faciendâ servatur in Curia sequens praxis. (16. Formato processu de vita, et moribus promovendi, ac de statu Ecclesiæ juxta interrogatoria in particulari instructione tradita a Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univers.* cap. 8. n. 141. et de *Offic. et potest. Episc.* par. 1. tit. 1. c. 5. a n. 4. fit ab ipso professio Fidei juxta formulam præscriptam a Pio IV. in sua Constitutione incip. *In Sacrosancta*, et deinde fit instrumentum dictæ professionis Fidei a Notario subscriptum in hunc modum, prout ad litteram tradit Barbosa *Distinction.* lib. 1. cap. 9. num. 11. et seq.

(17. « In nomine Domini. Amen. Præsenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, quod a Nativitate Domini etc. coram Eminentissimo, et Reverendissimo. D. N. S. Rom. Ecclesiæ Presbytero Card. etc. meque Notario publico infra scripto comparuit supradictus Adm. R. N. omni meliori modo etc. genibus flexis Professionem Sanctæ et Catholicæ Fidei juxta suprascriptam formam, tactis sanctis Scri-

pturis ad Sancta Dei Evangelia in manibus D. S. Eminentissimæ de verbo ad verbum emisit. Quam Fidei professionem, idem Eminentiss. et Reverend. Dominus Cardinalis accepit, et admisit præmisso, et alias omni meliori modo. Super quibus etc. Actum Romæ in Offic. etc. Præsentibus idem N. et N. testibus ad præmissa vocatis, et habitis specialiter atque rogatis. Ego Adoardus Tibaldescus, Clericus Spoletanæ Diocesis, Publicus Apostolica auctoritate Notarius, et ad scribendos, et rogandos processus Reverendissimorum D. D. Archiepiscoporum, et Monasteriorum Consistorialium privative quoad omnes alios specialiter a S. S. A. deputatus, de præmissis rogatus præsens instrumentum subscripsi, et publicavi requisitus. » Et subscribitur Cardinalis relator sic: « Ego N. S. R. E. Presbyter Cardinalis N. Fidei professionem a supradicto R. N. de verbo ad verbum in manibus meis emissam recepi, et ita testor. »

(18. Finito examine testium, et emissâ professione subscribitur processus ab eodem Cardinali Ponente in hunc modum: « Ego N. R. S. E. Presbyter Cardinalis N. relationem facturum in proximo Consistorio de præmissis, censeo R. N. esse habilem, et idoneum, qui ad supradictam Ecclesiam N. promoveatur, illum ei præficiendo Episcopum, et Pastorem. Romæ ex nostro Palatio, die, etc. Ego N. Card. N. qui supra. » Et subscribitur idem processus a tribus Cardinalibus Ordinum Capitibus, scilicet a primo Cardinali episcopo, a primo Cardinali Presbytero, a primo Cardinali Diacono.

(19. Hoc facto, præconizatio fit in primo Consistorio, quæ vicem electionis habet, cujus præconii formula pro Romano Pontifice, sic se habet: « Beatissime Pater, vacat Ecclesia N. per obitum N. etc. Ad jussum Sanctitatis Vestræ Ego N. Card. N. proponam R. N. etc. Civitatis etc. » Pro Cardinali autem ita fit: « Illustriss. et R. D. In proximo Consistorio, si S. D. N. placuerit, Ego N. Card. N. præconium faciam Ecclesiæ N. vacantis per obitum N. in personam Rever. N. etc. Civitatis etc. » et refertur status Ecclesiæ, et promovendi juxta formam Institutionis prædictæ.

(20. Fit positura in secundo Consistorio, et transmittitur schedula pro reassumptione posituræ, transmissa in prima præconizatione, et hæc secunda præconizatio habet vim confirmationis, et demum transmittitur fides provisionis Apostolicæ a Card. Ponente ad Card. Vicecancellarium facta in hunc modum: « Reverendiss. Domine. Hodie Sanctiss. in Christo Pater, et D. N. D. Urbanus Papa VIII, in suo Consistorio secreto, ut moris est, ad relationem meam Ecclesiæ N. cui N. dum viveret, præsidebat, et per obitum ejusdem Pastoris solatio destitutæ de Persona R. N. Diocesis N. ex catholicis, ac honestis parentibus, et legitimo matrimonio nati, in utroque Jure Doctoris, in ætate legitima constituti, ac demum cæteris omnibus qualitatibus a Jure, et Conc. Trident. Decretis requisitis præditi, qui professionem Fidei

juxta articulos pridem a Sede Apostolica propositos in manibus meis solemniter emisit, de Reverendiss. D. D. meorum Cardinalium consilio, Apostolica auctoritate providit, ipsumque illi in Episcopum praefecit, et Pastoralem curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiae sibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, absolvens eundem R. N. electum a censuris ad effectum etc. In quorum fidem praesentem schedulam fieri, et mei parvi soliti sigilli impressione muniri jussi, eamque propria manu subscripsi. »

Datum Romae in aedibus meae solitae residentiae, sub anno etc. D. V. S. Humillimus Servus N. Cardinalis N.

(21. Electus, et canonice confirmatus tenetur intra tres menses a die confirmationis munus consecrationis suae suscipere sub poena amissionis fructuum, etiamsi sit S. R. E. Cardinalis, et si intra tres alios menses id non impleverit, Ecclesia, et Episcopatu ipso jure privatur, cap. *Quoniam* 2, dist. 75, capit. *Quoniam* 1, dist. 100, et Concil. Trident. sess. 7, de *Reformat.* c. 9, et sess. 23, etiam de *Reformat.* c. 2, ibi: « Ecclesiis Cathedralibus, seu Superioribus, quocumque nomine, ac titulo praefecti, etiamsi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur; et si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso jure sint privati. » (22. Dictum trimestre tempus, infra quod Episcopus confirmatus debet munus consecrationis accipere, incipit currere a tempore habitae notitiae confirmationis de sua electione factae. Glossa in cap. *Cum in cunctis*, § *Cum vero*, verb. *Tempore de Elect.* Sanchez in *Opuscul. moral.* lib. 1, c. 1, dub. 15, n. 13. Flamin. de *Resignat.* lib. 7, q. 1, num. 92. Barbosa libr. 1, *Juris Eccles. univers.* c. 9, num. 34, et de *Offic. et potest. Episcop.* p. 1, tit. 1, c. 5, num. 2, et part. 2, alleg. 2, n. 40.

(23. Consecratio Episcopi debet fieri die

(1) Jure meritoque Cl. Auctor noster sententiam de validitate consecrationis Episcopalis, ab uno, vel duobus Episcopis factae, sat luculenter hic insinuat, et in *supplementis* n. 55, merito vocat probabiliorum, ea quippe tanto argumentorum pondere, atque gravissimorum Scriptorum auctoritate se se tuetur, ut nullis Adversariorum conatibus in dubium possit illa revocari. Si qui porro sint, qui cumulatiorem hujusce rei cognitionem exquirant, legere poterunt, quae docet Cl. Van-Espen, Part. 1, tit. 15, cap. 1, de *Consecrat. Episcop.* In *Scholii In Canon. Nicenos* Can. IV, Tom. VI. Neapolitan. Editionis 1766. Et in Responsione Epistolari, quae adjecta occurrit ad calcem Tom. IX, ejusdem Neapolit. Edition. Christianum Lupum Appendic. ad Can. IV. laud Concilii Niceni. Pontas in suo *Dictionar. Cas. Conscientiae* verb. *Episcopus*. Cas. 14, aliosque probatissimos, atque gravissimos Scriptores tum Theologos, tum Canonum Interpretes.

Ad recensitam porro sententiam magis confirmandam duo hic adjungimus. I. Haud recte posse inter se componi, quae simul nobis obtrudunt contrariae sententiae Patrocinatores, nempe tres Episcopos exquiri ad consecrationem Episcopi ex necessitate Sacramenti, ita ut a paucioribus facta prorsus irrita

Dominica; cap. *Qui in aliquo* 5, dist. 51, cap. *Ordinationes* 1, et cap. *Quod die Dominico* 5, dist. 75. (24. Consecratio Episcopi non debet fieri minori numero quam trium Episcoporum, saltem necessitate praecipui (1); c. *Episcopus cum ordinatur* 7, dist. 23, cap. *Episcopi* 1, c. *Comprovinciales* 4, cap. *Episcopum* 7, dist. 64, cap. *Porro* 2, dist. 66, cap. *Si Archiepiscopus* 6, et cap. *Nec Episcopi* 7, de *Temporibus ordinationum*. (25. Et si in Provincia non adsint tot Episcopi, accersendi sunt ex vicina Provincia, textu expresso in cap. *Si forti* 9, dist. 65. (26. Valida tamen est consecratio Episcopi facta ab uno solo Episcopo ex dispensatione Apostolica assistentibus duobus Sacerdotibus, uti constat ex praxi S. Greg. Magni, Greg. III et S. Pii V, quam confirmavit Innoc. X et Alexander VII, uti referunt, ac docent Allatius de *concord. Eccles. Occid. et Orient.* lib. 5, cap. 7, § ultimo. Schilderc. tom. 2, num. 117. Stephanus tom. 5, d. 7, n. 2. Cardan. in 2, *Crisi.* dissert. 2, num. 502. Gormaz de *Sacram.* d. 5, num. 319, et late Pign. t. 1, consult. 182. Barbosa lib. 1 *Jur. Eccles. univ.* cap. 9, num. 51. Et de facto Fagnan. lib. 1, *Decretal.* in c. *Nec Episcopi* 7, de *Temporibus ordinationum* n. 10, in fine, refert, quod hodie in litteris pro consecratione Episcoporum in Indiis apponitur clausula infrascripta, videlicet: « Tibi presbytero, ut a quocumque malueris Catholico Antistite gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habente, accitis, et in hoc illi assistentibus duobus, vel tribus dignitatibus, munus consecrationis recipere valeas etc. »

(27. Ipse tamen Fagnanus loc. cit. n. 3 et 9, et in c. *Requisivit* 1 de *Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu* n. 86, tenet, quod consecratio Episcopi necessario facienda est a tribus Episcopis ex necessitate Sacramenti, et est ita de substantia, ut a paucioribus facta non teneat; et plures tum Canonistas, cum Theologos pro se adducit, et Sacros canones cumulat, et dicit quod non est Episcopus, qui minus quam a

ac invalida censenda sit; ac posse simul Romanum Pontificem dispensare in hoc definito numero trium Episcoporum, aut posse hanc formam immutare cum non sit juris Divini, sed tamquam tradita ab Apostolis. Etenim cum Episcopatus Sacramenti rationem habeat, ut unanimi fere consensu tradunt Canonum Interpretes, et praesertim Fagnanus; quomodo poterit Summus Pontifex formam hanc praescriptam ex necessitate Sacramenti immutare, aut in illa dispensare? Neque dici poterit ex ipsa Divina institutione hanc dispensandi facultatem in praefixo numero Summo competere Pontifici, cum hoc ipsum gratis adseratur, neque quidquam probationis ex universa Scriptura, ac Traditione produci poterit, quo id vel leviter firmari possit.

II. Incassum Adversarii suae sententiae patrocinium captare student, ex eo quod in antiquioribus Canonibus aliter factae Ordinationes; h. e. non adhibito trium Episcoporum praefixo numero, irritae decernantur. Neque enim vox isthaec in antiquis Canonibus idem designat, ac apud Scholasticos; sed tantum privationem exercitii illius Ordinis. Id quidem luculentissime patet ex Canon. *Neminem*, et ex Canon. *Sanctorum* Dist. 70. ubi ordinationes factae sine titulo irritae, et vacuae decernuntur.

tribus, auctoritate etiam Metropolitanis, factus est Episcopus, afferens Epistolam Joannis III ad Episcopos Germaniae et Galliae, quae habetur t. 2 *Conc.* part. 2, pag. 250, col. 2, litt. D, ubi sic legitur: « Omnia quoque maxima Concilia affirmant eum non esse Episcopum, qui minus quam a tribus Episcopis auctoritate etiam Metropolitanis fuerit factus Episcopus, ideoque illos, quos Chor-episcopos vocatis, qui ab uno, ut audivimus, sunt Episcopo, Episcopos non esse, nec aliquid de Pontificali privilegio agere debere perspicuum est. » et cap. *Porro* 1, dist. 66, ibi: « Porro, et Hierosolymitanus primus Archiepiscopus Beatus Jacobus, qui Justus dicebatur, et secundum carnem frater Domini nuncupatus est, a Petro, Jacobo, et Joanne Apostolis est ordinatus successoribus suis formam dantibus, videlicet, ut minus, quam a tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum praebentibus, nullatenus Episcopus ordinetur. » (28. Potest autem Papa immutare hanc formam tamquam traditam ab Apostolis. Archid. in d. cap. *Porro*, Geminian. quia non est Juris divini forma; Card. praeposit. in d. cap. *Porro*, et expensius in cap. *Archiepiscopatus* 1, dist. 66. (29. Et Papa solus ordinando videtur dispensare super tali forma. Card. Praeposit. in dicto cap. *Porro*. Sic Fagnan. in cit. cap. *Neque Episcopi* 7, de *Temporibus ordinationum* 9 et 10, ubi dicit haec reperisse in libris publicis Sacrae Congregationis Concilii adnotata manu bonae mem. Card. Alciati illius Praefecti ad sess. 7, c. 9.

(30. Consecrandus in Episcopum debet necessario prius esse Sacerdos, adeo ut si Sacerdotium non praecesserit, invalida sit Ordinis Episcopalis collatio (1), arg. cap. *Ex litteris X de excessibus Praelator.* ibi: « Cum igitur Pontificale officium sine Altaris ministerio non valeat adimpleri. » cap. *Osius X*, dist. 61, ibi: « sed non eligitur aliquis scilicet Episcopus nisi in Sacris Ordinibus constitutus, » et tenet Glossa fin. in cap. unico, de *Clerico per saltum promoti*, S. Thomas in 4 sentent. dist. 24, quaest. 1, art. 2. Hugo et Archid. in cap. *Sollicitudo* 1, dist. 52. Raymond. in c. *Gratia* 2, q. 1, ubi dicit hujus opinionis esse fere omnes Doctores, ut refert Turrecremata eandem opinionem sequutus in d. cap. *Sollicitudo* num. 4. Silvester verb. *Ordo* 2, num. 1. Borg. de *Irregular.* part. 3, rub. de *Clerico per saltum promoti*, num. 5. Majol. de *Irregular.* lib. 4, cap. 12, num. 3. Henric. in *Summa*, lib. 10, c. 7, § 1. Azor. part. 2, lib. 3, cap. 30, q. 9. Emanuel Sa. verb. *Ordo* num. 24. Suarez. tom. 5, de *Censuris* disp. 50, num. 57. Bonacin. de *Censur. extra Bullam* disp. 3, quaest. 1, punct. 2, num. 7. Aversa, quaest. 1, sect. 6. La Croix, lib. 6, v. 2, num. 2210. Fagnan. lib. 1, *De-*

(1) In contrariam Sententiam declinavit clariss. Mabillonius in Commentario praevio ad *Ordinem Romanum* § 18, plures Romanos Pontifices asserens, qui a Diaconatu immediate in Episcopos fuerunt ordinati. Huic sententiae subscribit Clariss. Franciscus Pagi *Breviar. Rom. Pontif.* in *Sabiniano* a

cretal. in c. *Requisivit* 1, de *ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit*, num. 15 et 81, 82. Et ratio est, quia actus principalis Episcopi est ordinare Sacerdotes; cap. *Cleros* 1, dist. 21, cap. *Quamvis* 4, dist. 68, potestatem autem exercendi hujusmodi actum non potest Episcopus in sua consecratione accipere, nisi etiam sit Sacerdos, cum nequeat alteri conferre Ordinem Sacerdotalem, quem non habet, secundum Innocentium in cap. *Quanto, de Consuetudine*; Silvester in verb. *Ordo* 1, num. 1, vers. *Sed si sit Sacerdos*. Fagnan. loc. cit. n. 83, adeoque, etc. (31. Multi tamen tenent, validam esse collationem Ordinis Episcopalis, licet ordinatus non sit Sacerdos, ita Abbas in cap. unico, de *Clerico per saltum promoti* n. 5, vers. *Quod secundum*, Glossa, in cap. *Sollicitudo* 1, dist. 52, ubi dicit, quod si Laicus ordinetur Episcopus, bene recipere characterem; Joann. Andreas, Ancharan, Covarruvias, et alii, quos citat, et sequitur Barbosa de *Offic. et potest. Episcoporum*. part. 2, alleg. 1, num. 38.

(32. Ante consecrationem non potest Episcopus exercere ea, quae sunt Ordinis, sed tantum ea, quae sunt Jurisdictionis, cap. *Transmissam* 15, de *Election.* Fagnan. lib. 3. *Decretal.* in cap. *Nullus, de Parochis* n. 5. (33. Non consecratus Ordines conferre non potest, cap. *Transmissam* 15, ubi Glossa in verb. *De talibus*, et cap. *Quod sicut* 78, de *Election.* Fagnan. l. 1. *Decretal.* in c. *Quanto* 4, de *Consuetud.* num. 26. (34. Potestatem enim conferendi Ordines accipiunt Episcopi in consecratione; cap. *Quamvis* 4, cap. *Chor-episcopi* 5, dist. 68, cap. *Transmissam* 25, et cap. *Quod sicut* 28, de *Election.* Fagnan. lib. 1. *Decretal.* in cap. *Statuimus* 1, de *supplend. negligent. Praelator.* num. 19. (35. Potestas, quae confertur Episcopo per consecrationem, est indelebilis, nec potest ab Ecclesia auferri, unde remanet in Episcopo etiam Excommunicato, Haeretico, Deposito, et Degradato; cap. *Ordinationes* 9, quaest. 1, cap. *Quod quidem* 1, qu. 1, cap. *Ostenditur*, et ibi Archid. dist. 4, de *Consecr.* cap. unico, cum ibi notatis, de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu, cap. 2, vers. *Sicut enim Episcopus, de translatione Episcop.* S. Thomas 2. 2. quaest. 39, art. 3. Silvester, verb. *Degradatio* num. 9. Fagn. in cit. c. *Statuimus* num. 8, et alii passim. (36. Jurisdictionem accipit Episcopus in confirmatione etiam ante consecrationem, unde Episcopus confirmatus, licet nondum consecratus, potest excommunicare, suspendere, interdicare, visitare, corrigere, punire, synodum convocare, Beneficia conferre, Ecclesias minores conjungere, annectere, dividere, voti et jurisjurandi vincula solvere, quorumdam peccatorum absolutionem sibi reservare, et hujusmodi; cap. *Transmissam* 15, de

num. II. ad VI. et in *Constantino Antip.* num. I. Caeterum Benedictus XIV, in Epistola ad Carolum electum Episc. Justinopolitanum In *postremo* 10 Octob. 1756, § 10, subscripsit Morino, et Javenin asserentibus nullum exstare exemplum Episcopatus non presbytero collati. (NOTA EX EDITIONE ROMANA.)